

ROBERTAMI PRÆ-
SBYTERI DE CORPORE

& sanguine domini Præfatio
ad Carolum magnum
Imperatorem.

IVbes gloriose princeps, vt qd de sanguinis & cor-
poris Christi mysterio sentiam, vestrae magnificen-
tia significem. Imperium quam magnifico vestro
principatui dignū, tam nostræ prauitatis viribus con-
stat difficillimum. Quid enim dignius regali prouiden-
tia, q̄ de illius sacris mysteriis catholice sapere, q̄
sibi regale solium dignatus est, contribuere & subie-
ctos pati non posse diuersa sentire de corpore Chri-
sti, in quo constat Christianæ redemptionis summā
cōsistere. Dum enim quidam fidelium corporis san-
guinisq; Christi, quod in ecclesia quotidie celebra-
tur, dicant, quod nulla sub figura, nulla sub obuelati-
one fiat, sed ipsius veritatis nuda manifestatione per-
agatur, quidam vero testentur quod hæc sub myste-
rii figura contineantur, & aliud sit quod corporeis
sensibus appareat, aliud autem quod fides aspiciat,
nō parua diuersitas inter eos esse dinoscitur. Et cum
Apostolus fidelibus scribat, vt idem sapiant & idem ^{1. Cor. 1.}
dicant omnes, & scisma nullum inter eos appareat,
non paruo scismate diuiduntur, qui de mysterio cor-
poris sanguinisq; Christi non eadem sentientes elo-
quuntur. Quapropter vestra regalis sublimitas zelo
fidei prouocata non æquanimiter ista perpendens,

P R A E F A T I O.

Secundum Apostoli præceptum cupiens, vt idem
sentiant & idem dicant omnes, veritatis diligenter in-
quirit secretum, vt ad eum deuiantes reuocare possit.
Vnde non contemnitis etiam ab humilibus huius rei
veritatem perquirere, scientes q̄ tanti secreti myſteri-
um, non nisi diuinitate reuelante possit agnosci, quæ
sine personarum acceptione per quoscunq̄ delegerit
suae veritatis lumen ostendit. Nostræ vero tenuitati
q̄ sit iucundum vestro parere imperio, tam est ardu-
um super re humanis sensibus remotissima: & nisi p̄
sancti spūs eruditionē nō posse penetrare, disputare.

Subditus igitur vestræ magnitudinis iussioni,
cōfissus autem ipsius de quo locuturi sumus
suffragio, quibus potuero verbis, quid
de hoc sentiam aperire tentabo,
non proprio fretus ingenio,
sed sanctorū vestigia pa-
trum prosequē-
do.